

soli possunt in pubere facta, est ea juramentum firmari. Potius lib. 12. cap. 9. n. 8. Perez Disp. 9. sect. 2. n. 8. Joan. Andreas in c. Ex litteris. 10. de Sponsal. Cardinal. in c. De illis. 7. h. t. n. 2. & alii contra Sanchez lib. 1. Disp. 51. n. 22. Ancharanum in c. Ex litteris. 10. de Sponsal. & communiorum aliorum cum Glossa in cit. c. De illis 7. h. t. §. Judicio. Fundamentum nostrae Conclusionis est; quia juramentum sequitur naturam & conditiones actus, contractus, & obligationis, cui apponitur. l. fin. c. De non numer. pecun. nisi alius specialiter expresse habeatur in Jure: ergo quia Sponsalia ab impubere contracta habent hanc naturam, quod a pubere facta possint dissolvi, ejusdem naturam non immutabit, sed sequetur juramentum adjectum.

17 Nec dicas cum Sanchez, & sequacibus, obflare hic speciale Juris dispositionem, videlicet cit. c. Ex litteris. 11. h. t. ubi expresse habetur, quod si impuberes Sponsalia juramento confirmant, ea dissolvere non amplius queant. Resp. enim in cit. c. Ex litteris esse sermonem de impuberibus proximis pubertati, & quidem talibus, in quibus matula supplebat aetatem, quorum Sponsalia aequiparantur Sponsalibus puberum, cum inter tales impuberes ipsum etiam fieri possit Matrimonium, c. Ex litteris. 11. h. t. quod autem de talibus impuberibus ibi fiat sermo, patet ex termino impubescentes, id est, prope puberes: constat etiam ex illo, quod Papa ibidem puellam statim in uxorem recipi, & matrimonialiter tractari praecipit, quod facere non potuisset, nisi Sponsi pubertati dicto modo proximi fuissent. Vel dic, praefatos Sponsos idem non potuisse amplius dissolvere Sponsalia, quia pubertatem adepti non statim reclamarent, sed tacite ratificarent, juxta dicta num. 15.

18 Queritur III. An Sponsalia de presenti, seu Matrimonium ab impuberibus nulliter contractum transeat in vim Sponsalium de futuro? Resp. Affirmative, Communissima DD. in c. fin. h. t. contra Engel. h. t. §. 1. n. 10. & nonnullos alios. Probat Conclufio manifeste ex c. fin. h. t. & c. un. §. Idem quoque. ead. in 6. ubi expresse habetur, quod hujusmodi Matrimonium, Juris interpretatione sunt Sponsalia de futuro. Ratio ibidem subjungitur; Quia per dictum contractum, qui valet, ut potuit, non sicut agebatur publica honestatis justitia est inducenda. Concordat illud dictum Summarii, & DD. in l. Tam angusta. 17. ff. de Servit. Si non valet, quod ago, ut ago, valet, ut valere potest, quod etiam habet Glossa in cit. c. un. h. t. in 6. §. Matrimonium.

Nec obstat l. Quaesitum. 9. ff. de Sponsal. ubi Conclufio expresse negari videtur. Resp. enim, illam Legem esse correctam a Jure Canonico, cui in materia Matrimonii & Sponsalium standum est, uti cum communi aliorum recte advertit Gonzalez in cit. c. fin. h. t. n. 4.

19 Illud tamen observandum, quando impuberes Matrimonium contrahentes manifeste exprimerent, quod, si ex defectu aetatis non valet hoc eorum Matrimonium, nolent contrahere Sponsalia de futuro, in haec Matrimonium non transiret; quia deficeret consensus, & procederet illud Tritum: Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. l. Non omnis. 19. ff. Si certum petatur. Verum haec exclusiva intentio, nisi probetur, non praesumitur, sed potius contrarium, per Jura citata.

Porro num Conclufio locum habeat etiam in casu, quo non tantum defectus aetatis, sed etiam praesentia Parochi & Testium intervenit, dicemus Tit. sequenti.

TITULUS III.

De clandestina Desponsatione.

1. Ratio Ordinis.

Aboluta una specie Desponsationis, pergit Compilator Canonum ad aliam speciem Desponsationis, clandestinae nempe. Ubi tamen notandum; quod, licet alias proprie loquendo Desponsationis nomine sola intelligantur Sponsalia de futuro, arg. l. Sufficit. 4. ff. de Sponsal. Tamen ad praesens Desponsatio sumitur pro Sponsalibus de praesenti, seu pro ipso Matrimonio, c. Tua nos. 26. de Sponsal. & can. Conjus. 9. cau. 27. q. 2.

§. I.

De Denuntiationibus, & Matrimonio Clandestino ob earum omissionem.

SUMMARIUM.

- 2 Matrimonia dupliciter possunt esse clandestina.
- 3 Denuntiationes quid?
- 4 Est obligatio eas Matrimonio praemittendi,
- 5 Et quidem gravis.
- 6 Debent fieri tribus diebus Festivis continuis, inter Missarum solemnia: & quomodo?
- 7 Possunt etiam fieri extra Ecclesiam, & quando? Fini legis, & intentioni qui satisfacit, legi satisfaci: Ibid.
- 8 Denuntiationes fieri debent in utraque Parochia, si ex diversis sunt Sponsi.
- 9 Nisi consuetudo aliud habeat.
- 10 Juxta aliquos fieri debent in Parochia, in qua Sponsi divitius habitaverunt.
- 11 Juxta sententiam Authoris verò in Parochia, in qua tempore contractus sunt Parochiani.
- 12 Quamvis nonnunquam etiam in alia Parochia fieri debeant.
- 13 Solvitur objectio.
- 14 Doctrina practica, an, & quando debeant fieri Denuntiationes in loco nativitatis.
- 15 Denuntiationes non requiruntur ad valorem actus.
- 16 Solvitur Objectio.
- 17 Ordinarii ex justa causa possunt dispensare in Denuntiationibus.
- 18 Sine justa causa dispensantes peccant.
- 19 Enarrantur justae causae dispensandi in Denuntiationibus, usque ad num. 30.
- 20 Ordinarius ante dispensationem debet cognoscere de causa.
- 21 Saltem extrajudicialiter.
- 22 Debet insuper extrajudicialiter indagare, an non lateat impedimentum.
- 23 Nominè Ordinarii ad praesens quinam veniant?
- 24 Venit in specie Vicarius Generalis.
- 25 Solvitur Objectio.
- 26 Ordinarius potest cum utroque dispensare Sponsos, etsi unus sit alterius Diocesis.
- 27 Parochi non possunt dispensare in Denuntiationibus.
- 28 Quia non sunt Ordinarii pro Foro externo.
- 29 Possunt tamen in multis casibus declarare, Denuntiationes non obligare, consequenter sine eis Matrimonio assistere possunt.
- 30 Et quidem in omnibus casibus, in quibus tenetur Ordinarius dispensare, & adiri non potest, aut aditus injuste negat dispensationem.

41 Or di-

- 41 Ordinarius non tenetur dispensare ob quamvis Causam, ob quam potest dispensare.
- 42 Bene verò quando eam exigit bonum commune, aut etiam notabile bonum privatis, seu evitatio periculi incurrendi damnum corporis, fortunae, aut fame.
- 43 Doctrina practica, ex quibus causis Ordinarius dispensare teneatur, & Parochi sine Denuntiationibus assistere possint Matrimonio, usque ad num. 48.
- 44 Post Denuntiationes factas tenentur Sponsi vel intra quatuor menses contrahere, vel procurare novas Denuntiationes.
- 45 Post factas Denuntiationes tenetur quivis monifestare impedimentum, si quod subesse sciat: & quomodo?
- 50 Parna sine Denuntiationibus contrahentium.
- 51 Parna assistentis Parochi.

Notandum prius, Matrimonium duplici praecipue modo esse, & dici clandestinum. Primum, si contrahitur sine praescriptis ab Ecclesia Denuntiationibus c. fin. h. t. Secundò, si sine requisita praesentia Parochi & testium, Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. Addit Glossa in c. fin. h. t. v. Clandestina, etiam Tertium modum, videlicet, quando contrahitur sine solemnitatibus praescriptis can. 1. cau. 30. q. 5. quae hodie haud amplius sunt in usu. De Primo agemus in praesenti: de posteriori autem in sequenti Paragrapho. De Terio alibi.

Queritur itaque I. Quid sint, an, quando, quoties, quomodo, ubi, & a quo fieri debeant Denuntiationes Matrimonii? Resp. I. Denuntiationes aliud non sunt, quam proclamationes, seu notificationes publicae de Matrimonio duorum inter se contrahendo, in Ecclesia coram populo congregato faciendae, ad hoc, ut si quis aliquid dirimens, aut impediens impedimentum inter contrahere volentes novit, in tempore adhuc manifestare queat. Ita in re communis accerta arg. c. fin. h. t. & Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. patebitque adhuc magis ex sequentibus Conclufionibus.

Resp. II. Ordinarie loquendo, Denuntiationes sub gravi peccato cuius Matrimonio praemitti debent, ita, ut tam contrahentes, quam Parochus assistens mortaliter peccent, si absque Denuntiationibus Matrimonium contrahatur, nisi dispensetur, Sanchez lib. 3. Disp. 5. n. 6. Navarra in Manual. cap. 16. n. 36. Herinx in c. fin. h. t. n. 10. Layman lib. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. n. 9. cum communi, arg. c. fin. h. t. ibi: Statuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesia per Ecclesiae Presbyteros publice proponantur, competenti termino praesentibus, ut intra illum, qui voluerit, vel voluerit, leg. timum impedimentum opponat. Et ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquid impedimentum obstat. Quam Juris dispositionem innovans Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. sequens strictè observandum dedit Praeceptum: Intra octiduo sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis praecipit, ut in praesentibus Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parochio tribus continuis diebus Festivis inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium si contrahendum: quibus Denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponitur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiae procedatur.

Quòd autem haec Leges Ecclesiasticae graviter obligent, ratio est; tum quia sunt in materia gravi ad impedienda frequentia, & quae gravia mala potest Reiffensuel Jus Can. Tom. IV.

sita, prout liquet ex Concilio Tridentino loc. cit. ubi praefato Praecepto praemittit causam: Cum S. Synodus gravia peccata perpendit, quae ex clandestinis conjugii orium habent. Tum, quia omittentibus Denuntiationes graves peras, non nisi ob gravia delicta imponi solitas, infligunt, cit. c. fin. §. Si quis, & §. fin. h. t. & Concilium Trident. loc. cit. Neque enim ob peccatum veniale tam graves statuantur poenae, cum poena debeat correspondere delicto, arg. c. Felicis. §. Illud de Parnis. in 6.

Resp. III. Denuntiationes inter Missarum solemnia ter fieri debent, & quidem tribus continuis diebus Festivis. Patet Conclufio manifestè ex textu Concilii Tridentini num. 4. allegati, ubi per continuos dies Festivos intelligit tales, ut nuda Festiva dies, in qua Denuntiatio aliqua ex tribus non fiat, intermediet: idque idè, ne Denuntiationes diutius differantur, & donec secunda aut tertia fiat, prioris obliuiscatur populus, Sanchez cit. Disp. 6. n. 8. Barbosa Allegat. 32. Reginald. lib. 3. n. 225. cui tamen etiam cum aliis voluit, praefatos dies Festivos non debere sibi immediate succedere, uti succedant Festa Paschalia v. g. aut Pentecostalia, sed debere unum saltem, aut alterum diem non festivum inter eas mediare, ut populus sufficiens habeat opponendi, ut impedimenta detegendi tempus, qui est finis Legis. Caeterum voluntati DD. cum Gutierrez de Matrim. cap. 56. n. 4. non mortaliter, sed venialiter tantum peccare Parochum, qui non continuo tribus diebus Festivis, uno altero etiam non immediate succedente Festivo neglecto, Denuntiationes faceret; dummodò tardius non differat, quòd periculum oblivionis priorum in populo esset. Ratio est; quia alia videretur esse levitas materiae.

Porrò, quamvis Concilium Tridentinum velit 7 ut Denuntiationes in Ecclesia inter Missarum solemnia diebus Festivis fiant; tamen etiam in die non Festivo, non existentibus Missarum solemniis, & extra Ecclesiam quoque fieri possunt, quando sufficiens adest populi concursus, ut contingere solet in Concionibus, Processionibus, Litanis, Sanchez lib. 3. Disp. 6. n. 9. Gutierrez loc. cit. num. 7. Barbosa loc. cit. n. 15. & 16. Layman loc. cit. n. 9. Bolco p. 5. Disp. 11. sect. 10. Concl. 3. Ratio est; quia etiam tali modo satisfit intentioni, & fini Legis, qui idè tantum diebus Festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia fieri praecipit Denuntiationes, quia supponit, tunc fieri magnum populi concursum, adeoque certius ac facilius revelandum impedimentum, si quod subesset; qui finis aequaliter obtinetur, si die non Festivo, & extra Ecclesiam similis concursus fiat. Qui autem satisfaciunt fini & intentioni Legis, satisfaciunt Legi ipsi, arg. can. Humens aures cau. 22. q. 5. ibi: Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem; quia non debet intendi verbis deservire, sed verba intentioni, & l. Scire. 16. ff. de Legib. ibi: Scire Leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim & potestatem.

Resp. IV. Denuntiationes debent fieri a proprio contrahentium Parochio, vel substituto per eum; & quidem in utraque Parochia, si Sponsi ex duabus diversis Parochiis sunt. Sanchez lib. 3. Disp. 6. n. 4. Pihing h. t. n. 28. Bolco loc. cit. Palao de Sponsal. Disp. 2. punc. 13. §. 3. n. 2. cum communi aliorum, arg. cit. Concil. Trident. ubi praecipitur, ut Denuntiationes fiant a proprio contrahentium Parochio; ergo ab utroque Parochio fieri debent. Si uterque Sponsorum proprium habet. Accedit Declaratio Cardinalium S. Concilii Interpretum, quam allegat Sanchez loc. cit. & Bolco ex Farinacio

F illis

illis verbis: Quando Matrimonium contrahitur inter duos de diversis Parochiis, debent in ambabus fieri Denuntiationes. Idem habetur in Rituali Romano de Sacramento Matrimonii, ibi: Si verò vir & mulier Parochia sint diversae, in utraque Parochia sunt Denuntiationes. Ratio est, ut facilis & certius manifestentur impedimenta; quia impedimenta viri possunt esse occulta in Parochia mulieris, & e contra. Confirmatur praxi & consuetudine, quae est optima Legum interpret. l. 37. ff. de Legib.

9 Notant tamen Layman, Palao, & Pirhing loc. cit. vi consuetudinis bene fieri posse, quòd sufficiat, si in una tantum Parochia, in qua nuptiae celebrantur, fiant Denuntiationes. Ratio est; quia Denuntiationes vi solius Legis humanae in utraque Parochia fieri debent, Concilium Tridentinum loc. cit. Legi autem humanae derogat consuetudo legitime praescripta c. fin. de Consuetud.

10 Hic tamen occurrit non levis controversia Doctorum, in qua Parochia Sponsorum Denuntiationes fieri debeant? An videlicet in illa, in qua de facto habitant, & ratione domicilii, aut quasi talis, Parochiani sunt? an verò in Parochia, in qua diutius versati sunt, & verosimilis est, fore, ut facilis sciatur impedimenta, qualis ordinariè est Parochia, ubi parentis utriusque habitatio est; quòd ultimum vult Sanchez lib. 3. Disp. 6. num. 6. Gutierrez de Matrim. cap. 56 n. 6. Segura citans Declarationem Cardinalium, Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 32. n. 14. & communior aliorum. Rationem dant; quia tali modo magis satisfit intentioni Concilii Tridentini. Et haec sententia omnino est probabilis: quia non obstant,

11 Resp. V. Loquendo de Jure, si non probabilius, saltem aequè est probabilis sententia dicens, quòd Denuntiationes fieri debeant in utriusque Parochia illa, in qua tempore Denuntiationum ita habitant, ut ratione veri, vel quasi domicilii, veri Parochiani sint. Pontius lib. 5. cap. 20. n. 5. cujus sententiam de Jure rigore vetiorem iudicat Bosco p. 5. Disp. 11. sect. 10. Concl. 3. n. 59. & alii arg. cit. Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. ubi expresse disponitur, ut Denuntiationes fiant à proprio contrahentium Parocho; atqui Parochus illius Parochiae, in qua contrahentes vi veri, aut quasi domicilii, sunt veri Parochiani, & ubi alia Sacramenta, Sepulcrum, verbum Dei, & reliquam animarum curam percipiunt, est verus ac proprius ipsorum Parochus, prout fatetur ipsimet Adversarii, & in specie Sanchez lib. 3. Disp. 23. a. n. 12. & 13. ubi id n. 12. ad longum probat, Barbosa loc. cit. num. 64. Gutierrez cap. 63. num. 10. cum communi, & magis dicemus infra à num. 58. ubi cum communi docebitur, talem Parochum posse ac debere etiam assistere contrahentibus Matrimonium, quòd facere non posset, nisi esset proprius eorum Parochus, ergo.

Nec obstat supra allegata Declaratio Cardinalium, utpote, quae non invenitur, uti vult Pontius, dicens se diligenter perlegisse Declarationes hanc de re à celeberrimis Doctoribus editas, & tamen non invenisse; si tamen extaret, eidem utique adherendum foret.

12 Illud tamen cum Pontio loc. cit. & communi aliorum fatendum est, contingere nonnunquam posse, quòd etiam in alia Parochia, in qua Sponsi de facto Parochiani quidem amplius non sunt, prius tamen ibidem diutius fuerunt, fieri debeant Denuntiationes arg. cit. c. fin. h. t. ubi praecipitur, ut praeter Denuntiationes in Ecclesia propria factas, Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquid impedimentum obstat, si videlicet id faciendi causa urgeat, qualis esse videatur, quando Sponsi, aut

unus eorum in moderna Parochia propria diu adhuc non habitant, sed primum huc venerunt.

Nec obstat Concilium Tridentinum, quòd loc. 13. cit. assistere videtur, sufficere, si a proprio contrahentium Parocho Denuntiationes fiant. Nam contra est: Tum quia Concilium Tridentinum loc. cit. non corrigit, sed potius confirmat citatum c. fin. h. t. Tum quia idem finis est Concilii & Juris communis, cit. c. fin. h. t. videlicet, ut Denuntiationes ita & in tali loco fiant, quatenus impedimenta, si quae obessent, facilis detegi possent, cui fini nullatenus satisfieret, si Sponsi recenter ad aliquam Parochiam venientes, solummodo ibidem, & non ibi, ubi diutius morati sunt, denuntiarentur, consequenter nec Lex ipsa Trident. observaretur per Jura supra num. 7. citata & c. Certum est. 88. de R. J. in 6. ibi: Certum est, quòd is committat in Legem, qui verba legis complectens contra legis iuriam voluntatem.

Ceterum quandonam fieri debeant Denuntiationes etiam in alia Parochia, quam in ea, in qua quis de facto ratione veri, aut quasi domicilii Parochianus est, relinquatur iudicio prudentum, praesertim Ordinariorum, ad quos in casu majoris difficultatis, aut dubii, ubinam Sponsi denuntiare debeant, Domini Parochi recurrere habent, ut loc. cit. ad finem bene observat Pontius. Pro praxi nihilominus ex dictis inferre placeat.

Inferitur: Non esse Regulam universalem, quòd 14 Sponsi semper debeant etiam denuntiare in Parochia, in qua nati sunt, prout aliqui exigere videntur. Nam contra est: tum quia Concilium Tridentinum non requirit, ut in Ecclesia, in qua nati sunt, Sponsi denuntientur, sed in propria Parochia, quae saepe non amplius est locus nativitatis, sed habitatio. Tum quia non raro contingit, quòd aliqui ante annos pubertatis, vel paulò post, iam à loco nativitatis descendentes in aliis locis per plures versentur annos. Tum quia nonnunquam contingit, aliquem diutius extra, quam in loco nativitatis suae morari. In quibus casibus planè non apparet, cur in loco nativitatis Denuntiationes fiant; cum nec textus, nec finis, aut ratio Concilii Tridentini id exigat. Hinc (salvo meliori iudicio) nunquam videtur necessarium, ut Denuntiationes fiant etiam in loco nativitatis Sponsorum, si ipsi iam per aliquot, quinque v. g. sex, vel plures annos in alio versantur loco, ibique Parochiani sunt ratione veri, vel quasi domicilii; praesertim, si locus nativitatis multum distet; prout saepe contingit in famulis, & famulabus conductitiis & opificum; nisi forsitan specialis occurreret ratio, aut circumstantia prudens dubium causans, vel aliud exigens. Accedit, quòd si locus nativitatis sit multum distans, ordinariè concurrat una ex causis dispensandi infra à num. 10. allegandis. Pro cautela tamen ordinariè bene facit Ordinarius, si ab alienigenis juramentum exigit, quòd sint liberi ab omni vinculo Matrimonii, aut Sponsoriorum.

15 Resp. IV. Quamvis ad lichte contrahendum Matrimonium necessariò praemitti debeant Denuntiationes, tamen ad valorem Matrimonii minimè requiruntur. Sanchez lib. 3. Disp. 5. n. 3. Gutierrez de Matrim. cap. 56. n. 2. & de Juram. p. 1. cap. 51. n. 21. Pontius lib. 5. cap. 30. n. 2. Bosco p. 5. Disp. 11. sect. 10. Concl. 1. cum communissima, & hodie certa aliorum, contra Menochium apud Sanchez loc. cit. Probat, Matrimonium sine praeviis Denuntiationibus contracta de Jure communi subsistunt; cum nullibi reperitur Canon eairitans. fateturque ipsum Concilium Tridentinum cit. Sess. 24. de Reform. Matrimoni. cap. 1. dicens, quòd ii in statu Damnationis permanent, dum priore uxore,

uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahant, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Quibus verbis aperte indicat, Matrimonium clam, consequenter etiam sine Denuntiationibus contractum, validum fuisse; ergo adhuc valet, eò quòd Jus antiquum per novum Tridentinum in hoc correctum non sit. Licet enim irritaverit Matrimonium clandestinum ob defectum praesentiae Parochi ac testium per dicenda infra §. seq. tamen non annullavit, sed tantum prohibuit Matrimonium ex defectu Denuntiationum Clandestinum. Accedunt plures Declarationes Cardinalium pro Conclusionis factae, quas vide apud Farinacium. Ex quibus juvat unam adducere ex Bosco loc. cit. num. 6. sequentis tenoris: S. Congregatio Concilii censuit, Matrimonium contractum non praemissis Denuntiationibus, nisi aliud obstat, irritum non esse. Accedit praxi, ac consuetudo optima legum interpret. c. 8. de Consuetud. similia Matrimonia pro validis agnoscens.

16 Nec obstat, quòd Menochius cum adversariis objicit ex l. Non dubium ff. de Legib. ibi: Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsistunt, qui contrahunt, lege contrahere prohibente; & infra: Ea, quae lege fieri prohibentur, si facta fuerint, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur; licet et Legilator fieri prohiberit tantum non specialiter dixerit, inutile esse debere, quòd factum est. Concordant Canon. ut can. Imperiali. cau. 25. q. 5. ibi: Imperialis constitutio aperit iunctum est, ut ea, quae contra leges sunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint, & c. Quae contra. 64. de Reg. J. in 6. ibi: Quae contra Jus sunt, debent atque pro infectis haberi. Nam contra haec patet responsio ex dictis Lib. I. Tit. II. §. XI. a. n. 247. quòd videlicet haec Jura locum habeant, quando Lex vel utitur terminis irritantibus, aut praescribit formam seu substantiam actus, aut substantiam ipsam prohibet: secus quando tantum versatur circa modum, qualitates, & accidentia, uti in praesenti.

17 Queritur II. An, quāquam & quando dispensare possint in Denuntiationibus? Resp. I. Ex iusta causa potest quisvis Ordinarius dispensare, quòd Matrimonium vel sine omni Denuntiatione, vel una tantum praemissa, contrahatur, vel etiam, quòd primum post Matrimonium jam contractum Denuntiationes fiant. Unanimis ac certa ob claram dispositionem Concilii Tridentini cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. ibi: Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediti posse, si tot praecesserint Denuntiationes, tunc vel una tantum Denuntiatio fiat, vel saltem Parocho cum duobus, vel tribus testibus praesentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem Denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse iudicaverit, ut praedictae Denuntiationes remittantur, quòd illius praxi & iudicio S. Synodus relinquit.

18 Dicitur notanter ex iusta causa, quia haec est de essentia Dispensationis; cum sine iusta causa dispensatio non sit dispensatio, sed dissipatio, juxta dicta Lib. I. Tit. II. §. 18. n. 450. Hinc rectè infert Sanchez lib. 3. Disp. 8. n. 2. graviter peccare Ordinarium, si absque iusta causa in Denuntiationibus dispenset; quia agit contra Legem in materia gravis. Quaequam autem sint iustae causae ad praesens, dabit Conclusio sequens.

19 Resp. II. Iustae causae dispensandi in Denuntiationibus, inter alias sunt etiam sequentes. I. Est, quotiescumque adest probabilis timor, aut suspicio, ne, si Denuntiationes fiant, Matrimonium à con-

sanguineis, vel aliis, malitiosè impediatur. Omnes quia hanc causam ipsum Concilium allegat.

II. Si probabilis suspicio, aut periculum est, ne pars altera voluntatem mutet, & à Sponsalibus injustè resiliat; tamen multum interest Matrimonium contrahi. Bosco p. 5. Disp. 11. sect. 10. Concl. 6. n. 145. Layman lib. 5. n. 10 p. 2. cap. 4. n. 11. ubi inter causas dispensandi etiam numerat Sponsorum inconstantiam.

III. Si Principes, & Magnates contrahunt. Sanchez lib. 3. Disp. 9. n. 3. Bosco loc. cit. n. 146. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 32. n. 45. eò quòd horum impedimenta, si adestent, statim essent nota.

IV. Evitatio infamiae, ut si concubinarum, com-muniter reputati conjuges, velint contrahere: aut si Matrimonium in facie Ecclesiae nulliter est contractum ob latens impedimentum affinitatis v. g. Bosco loc. cit. Sanchez loc. cit. n. 5. Palao de Sponsal. Disp. 2. p. 13. §. 4. n. 7. Layman loc. cit. n. 11.

V. Gravis erubescencia aut pudor, qui contingere potest, si Sponsi sunt valde senes, aut valde dispares, ut si Sponsus sit valde senex, & Sponsa juvenula, aut ille praenobilis, haec plebeia; aut ille valde dives, ista paupercola, Sanchez loc. cit. n. 3. Bosco loc. cit. n. 146. Barbosa loc. cit. n. 46. & plures alii ab his citati.

VI. Angustia temporis, ut si immineret tempus Adventus, aut Quadragesimae, adeò ut, nisi dispenderet, nuptiae nimis, & cum periculo incontinentiae, aut alterius gravis incommodi, aut praedicti differri deberent. Sanchez loc. cit. n. 8. Layman loc. cit. Bosco loc. cit. Palao loc. cit.

VII. Periculum scandalum, vel etiam gravis damnatio in bonis fortunae, corporis, famae, aut animae. Sanchez loc. cit. Layman loc. cit. Palao loc. cit. Bosco loc. cit. Pontius lib. 5. cap. 32. n. 2.

VIII. Quaevis notabilis contrahentium commotio, ditas, aut bonum, sive temporale, sive spirituale, Palao loc. cit.

IX. Quando moraliter certum est, nullum adest impedimentum, aut aliud obstatulum. Sanchez loc. cit. num. 7. citans plures alios; item Bosco loc. cit. num. 146. Ratio est: tum quia ob hanc causam dispensatur cum Magnatibus. Tum quia in tali casu cessat finis Legis; quamvis enim cessante sine Legis solum in particulari, non cesset in eodem Lex ipsa, ut amplius dictum est Lib. I. Tit. II. de Constit. tamen cessans finis praebet causam in particulari dispensandi. Bosco loc. cit.

X. Tandem dispensare potest Ordinarius ex quavis alia causa, quae juxta prudens iudicium videatur iusta. Ratio est; quia ejusdem iudicio Concilium relinquit.

Addunt aliqui, quòd etiam causa dispensandi fit, si contrahunt vagi & ignoti. Gobath Tr. 10. casu 13. n. 491. quia frustra fiant de Denuntiationes, cum, uti supponitur, hominibus in loco, quo copulantur, sint ignoti.

Illud tamen notandum, quòd si Ordinarius ob aliquam ex recentibus causam dispensare velit, prius aliquòd modò investigare, & cognoscere debeat, an causa, quae pro dispensatione allegatur, vel saltem alia iusta, revera subsit. Palao loc. cit. ad finem. Sanchez loc. cit. Disp. 8. n. 4. Perez Disp. 43. sect. 4. n. 13. arg. Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. Matrim. cap. 18. ibi: Quapropter fiant universae, facitissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri potest, indistinctè observandos, quòd si urgens justoque ratio, & major quāvisque utilitas postulare sint, cum aliquibus dispensandum esse; id causà cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibusvis, quae ad quos dispensatio pertinet, erit praestandum,

alterque facta dispensatio subrepticia censetur.

31 Sufficit autem extrajudicialis cognitio, & non requiritur judicialis, consequenter non est necesse, ut Ordinarius servato Juris ordine, aut per testes juratos &c. indagat. Sanchez lib. 3. Disp. 8. n. 4. Bolco loc. cit. n. 133. Ratio est; quia Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. agens de dispensatione Denuntiationum, totum prudentiæ ac judicio Ordinarii relinquit; quoties autem aliquid Judicis judicio & arbitrio relinquatur, non est necessaria cognitio & probatio Judicialis. Bolco, & Sanchez loc. cit. arg. c. 2. de Juram. & c. fin. de Voto, ac ibi Glossa v. Conscientia. Item, c. Statutum de Rescript. in 6. junctâ Glossa v. Relinquitur.

32 Debet insuper extrajudicialiter saltem aliquod modò indagare, ac se informare, an non subit aliquod impedimentum. Sanchez lib. 3. Disp. 9. n. 20. Palao lo. cit. Perez loc. cit. arg. c. fin. h. t. ibi: Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obstitit. In quo puncto potest tubinde, & debet exigere juramentum ab uno vel utroque Sponso, si circumstantiæ id exigant; præsertim si non bene constat de libero statu ac vinculo Matrimonii.

33 Resp. III. Per Ordinarium, qui juxta dicta n. 17. in Denuntiationibus dispensare potest, intelligitur non tantum Episcopus, sed omnes alii Prælati Ecclesiastici, qui jurisdictionem quasi Episcopalem in aliquo Territorio obtinent, nullique Diocesano subiecti sunt, v. g. Legati Sedis Apostolicæ in suis Provinciis. Sede vacante, & nonnulli Abbates, aut Prælati dictam jurisdictionem sine ulla subiectione ad aliquem Diocesannum habentes. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 32. n. 30. Sanchez lib. 3. Disp. 7. n. 4. Navarrus lib. 4. Consil. de Cland. Spon. Consil. 2. & alii. Ratio est; quia omnes hi sunt verè Ordinarii, per ea, quæ diximus Lib. I. Tit. XXXI. de Offic. Ordin. n. 1. Ordinarius autem quivis habet memoratam potestatem juxta Concilium Tridentinum, Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. cum enim ibi indistinctè loquatur de Ordinario, de eò indistinctè venit intelligendum, arg. c. Quia circa de Privileg.

34 Resp. IV. In specie etiam Vicarius Generalis Episcopi absque ulla speciali commissione aut mandato, ipso Jure allegatam habet potestatem, Barbosa loc. cit. n. 28. plurimos ibidem alios allegans, Sanchez loc. cit. n. 10. Palao loc. cit. §. 4. n. 2. Gutierrez de Matrim. cap. 56. n. 1. Sperellus decis. 97. cum communiore aliorum contra Pontium lib. 6. cap. 31. n. 5. & nonnullos alios. Ratio est; quia Vicarius Generalis est verè Ordinarius, habetque veram jurisdictionem ordinariam, & quidem eandem cum Episcopo, arg. c. Romana §. 1. de Appellat. in 6. junctâ Glossâ ibidem. v. Generaliter & amplius probavimus Lib. I. Tit. XXVIII. de Offic. Vicarii. n. 91. atque juxta dicta n. præced. quivis Ordinarius habet potestatem dispensandi in Denuntiationibus: ergo.

Confirmatur: Vicarii Generales ante Concilium Trident. ex generali consuetudine poterant dispensare in Denuntiationibus, teste Sanchez loc. cit. post Paludan. ergo etiamnum possunt; quia Concilium dictum consuetudinem non revocavit. Accedit etiam hodierna plurimum Diocesannum, saltem Germaniæ, usus ac consuetudo, quæ est optima Legum interpret. L. 37. ff. de Legib.

35 Objicies cum Adversariis: In generali concessione, aut commissione Vicariatus, non venit potestas dispensandi, nisi specialiter committatur, ut habet Glossa in can. Quæ de causa, caus. 2. q. 5. v. Quidquid, communiter recepta, atque tenet

Sanchez lib. 2. Disp. 40. n. 10. arg. c. Quid translationem. 4. de Offic. Legat. ergo. Accedit, quòd contra Conclusionem adit Declaratio Cardinalium, prout ex Henriquez testatur Pontius loc. cit. Resp. distinguendo Ant. In generali commissione Vicariatus non venire potestatem dispensandi, nisi Jus ipsum Ordinario in genere concedat dispensationem, conceditur; si Jus ipsum concedit, ut in præfati, negatur.

Ad Declarationem respondetur, eam non obflare: tum quia de illa non tantum authenticè non constat, sed etiam dubium existit; cum alii fidelissimi Collectores eam non invenerint: tum quia, etsi, datò, non concessò, existeret, possent Vicarii Generales nihilominus dispensare vi consuetudinis, vel antiquæ à Tridentino non revocatae, vel novæ post Tridentinum introductæ. Enim verò quia consuetudo legitime præscripta, tribuit etiam jurisdictionem. c. Duo simul. de Offic. Ordin. & c. Contingat de Foro compet. potest vi illius fieri dispensatio in Jure; prout etiam diximus Lib. I. Tit. II. de Consil. §. 18. n. 471.

Porro præfati Ordinarii potestatem dispensandi habentes possunt cum utroque Sponso dispensare, etsi unus sit alterius Diocesis. Sanchez Lib. 3. Disp. 7. num. 7. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 32. n. 35. Gutierrez de Matrim. cap. 56. ad finem. Ratio est; quia sicut potest Episcopus Sponsum alterius Diocesis cum suo subdito in Matrimonium conjugere, juxta dicenda infra num. 63. ita poterit etiam cum ipso dispensare. Accedit praxis & consuetudo, optima Legum interpres.

Resp. IV. Quamvis Parochi in Denuntiationibus verè dispensare nunquam valeant, possunt tamen sine Denuntiationibus Matrimonio assistere, non quidem dispensando, sed declarando, eas non obligare in casu, quo dispensatio necessaria est ob bonum prolis legitimandæ, ut in articulo mortis Sponsæ impregnatae, aut ad evitandum periculum infamæ. Matrimonii malitiòse impediendi &c. & in omnibus casibus, in quibus Ordinarius tenetur dispensare, si Ordinarius pro dispensatione adire nequit, vel rogatus dispensationem injustè negat. Primam partem, quòd de Jure dispensare nequeat, est communissima apud DD. ut videre est apud Palao de Sponsal. Disp. 2. punc. 13. §. 4. n. 3. Gutierrez de Matrim. cap. 56. n. 12. & lib. 1. can. 99. cap. 16. num. 6. Sanchez de Offic. & potest. Episc. Allegat. 132. num. 2. & seqq. Layman lib. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. n. 11. arg. c. fin. h. t. cui accedit Declaratio Cardinalium, quam inter alias refert Sanchez loc. cit.

Nec favet Parochis Tridentinum Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. prout Ledesma, & alii pro Parochis scribentes volunt. Nam contra est, quòd Concilium ibidem solis Ordinarii concesserit potestatem in Denuntiationibus dispensandi; Parochi autem nomine Ordinarii pro Foro externo non veniunt; per dicta Lib. I. Tit. XXXI. num. 28. & seqq.

Secunda pars, quòd in allegatis casibus, declarando per Epichejam Jus non obligare, valeant omittere Denuntiationes, docetur à Sanchez loc. cit. Disp. 10. n. 25. & seqq. Layman loc. cit. Gobath Tr. 10. n. 493. & seqq. Tanner. Tom. 4. Disp. 8. q. 3. n. 132. Pontio lib. 5. cap. 32. n. 7. & alii. Ratio est; quia in præfatis casibus videtur adesse necessitas moralis, ob quam obligare cessat Lex humana, l. un. ff. de Offic. Consul. l. Aliquando. §. ff. de Proconsul. & c. 2. de Observat. jejun. cum Concordantiis.

Additur autem notanter in secunda parte Con- cluso-

clusionis, & in omnibus casibus, in quibus tenetur Episcopus dispensare. Nam in casibus, in quibus Ordinarius ob causam allegatam dispensare non tenetur, licet posset, neutiquam potest Parochus omittere Denuntiationes. Sanchez loc. cit. num. 30. Gobath loc. cit. Ratio est: tum quia, quando Ordinarius dispensare non tenetur, nulli facit injuriam, negando dispensationem. Tum quia, uti supponitur, abest omnis gravis necessitas, omnique alia causa à Lege excusans; ergo Lex, nisi dispensetur, obligat. Quenam autem sint causæ, ob quas Ordinarius dispensare tenetur, habes infra num. seqq.

41 Queritur III. An, & quando, seu ob quas causas Episcopus, seu alius Ordinarius rogatus dispensare in Denuntiationibus tenetur? Resp. Quamvis non ob quamvis causam, ob quam potest, tenetur Ordinarius dispensare, tenetur tamen ob aliquas. Primam partem, quòd non ob quamvis causam tenetur, docet Sanchez lib. 3. Disp. 10. num. 3. Pontius lib. 5. cap. 31. n. 6. Palao de Sponsal. Disp. 2. punc. 13. §. 5. num. 1. Gutierrez lib. 1. can. 99. cap. 20. n. 33. cum communi contra plures à Sanchez relatos, Ordinarium semper teneri dispensare, quoties aliqua subest causa. Ratio conclusio est: Tum quia, non omne, quod potestati Judicis committitur, id Juris necessitati subijcitur, l. Quidquid. 4. ff. de Judicis. Tum quia dispensatio etiam legitima & ex causa facta (lectis enim non esset dispensatio, sed dissipatio per dicta n. 18.) vocatur gratia & misericordia, c. Licet canon. de Elect. in 6. ibi: possit Ordinarius dispensationem gratiam facere. can. Dedic. cau. 1. q. 7. ibi: Dispensationis enim gratia, & c. Pastoralis, de Cleric. excom. minor. ibi: Nisi misericorditer cum eis fuerit dispensatum; ergo si subinde ex sola gratia & misericordia fit, non semper necessariò fit.

Secunda pars, docetur etiam à Doctoribus num. præced. allegatis, & Coninck Disp. 27. dub. 6. n. 57. Gutierrez de Matrim. Disp. 57. n. 4 qui docent, quòd Ordinarius tenetur dispensare non tantum, quoties dispensatio servit pro bono communi, sed etiam quando conducit ad acquirendum notabile bonum privati; vel ad avertendum periculum incurrendi notabile damnum in bonis animæ, famæ, corporis, aut fortunæ. Ratio est; quia Prælati Ecclesiastici ex Officio tenentur providere bono non tantum communi, sed & particulari subdito; ergo, si dispensatio conducit pro notabili bono acquirendo, aut gravi damno avertendo, tenentur. Accedit, quòd quivis ex charitate proximi tenetur grave alterius bonum procurare, & econtra malum avertere, si faciliter, & absque sui præjudicio potest, per vulgaria Theologiæ principia desumpta ex Lege Divina: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, ergo, si id potest Ordinarius per dispensationem facere, eam impertiri tenebitur, eò quòd faciliter, & sine omni sui præjudicio eam dare potest.

43 Inferitur I. In omnibus casibus supra à num. 19. allegatis, excepta Tertia, de Magnatibus, quinta de gravi erubescencia & Nona, teneri Ordinarium dispensare.

44 Inferitur II. Si in præfatis casibus ob periculum in mora non facile potest adiri Ordinarius, posse, imò teneri Parochum etiam non petità dispensatione assistere Matrimonio absque præmissis Denuntiationibus per dicta n. 37. & seqq.

45 Inferitur III. Si in memoratis casibus periculum in mora non est, debere quidem peti dispensationem ab Ordinario, eò tamen dispensationem injustè negante, posse saltem in Foro interno & Sponsal. Reversus Jus Can. Tom. IV.

fos licet contrahere, & Parochum licet assistere Matrimonio, per dicta num. 37. & seq. id, quod præter ibidem allegatos docent etiam Castro Palao de Sponsalib. Disp. 2. punc. 13. §. 5. n. 4. Navarrus in Summa cap. 22. n. 70. ob rationem num. 39. dictam.

Dicitur notanter: Saltem pro Foro interno; quia 46 si ob similem causam Ordinarius rogatus dispensationem expressè neget, non suaderem Parochus, ut Matrimonio assisteret; quia licet ordinariè in simili casu dispensationem dare teneatur, tamea ejus arbitrio & judicio relinquatur, an causa allegata, revera sit una ex illis, neque Parochus in Foro externo est Judex in hac causa. Hinc bene advertunt DD. quòd, si Parochus contra expressam prohibitionem Ordinarii, aut eodem dispensationem negante, Matrimonio etiam ob aliquam ex allegatis causam assisteret, in Foro externo puniri posset, quamvis in Foro interno peccaret.

Objicies autem contra secundam partem Conclusionis num. 42. postitam; & inde illata. Concl. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. ubi in causa etiam gravissima, malitiosè nempe impedimenti, prudentiæ & judicio Ordinarii relinquatur, an in Denuntiationibus dispensare velit: ergo nunquam etiam ex gravi aliqua ex num. 42. allegatis causa dispensare tenetur. Resp. negando consq. quia Concilium ibidem non relinquit arbitrio Ordinarii, quòd certè cognito malitiosè impedimenti periculo, aliter, quam per dispensationem non declinabili dispensare possit, vel non: sed tantum relinquit eidem judicare & arbitrari, an revera tale periculum substat, & alia, quam dispensationis viâ, amoveri nequeat. Palao loc. cit. n. 2.

Queritur IV. Quem effectum habeant, & quantum Denuntiationes obligent tam populum audientem ad manifestanda impedimenta, quam Sponsos ad nubendum? Resp. I. Denuntiationes semel factæ obligant Sponsos, ut vel intra quatuor menses contrahant, vel de novo Denuntiationes fieri patiantur. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 32. n. 55. Bonacina de Matrim. q. 4. pun. 6. n. 1. v. Quare, cum aliis: & ita decitum refert Rebell. p. 2. lib. 4. in Declarat. Illust. Cardin. sect. 2. n. 8. & merito, quia facile contingere posset, ut interea novum impedimentum interveniret.

Resp. II. Post factas Denuntiationes quivis graviter tenetur manifestare impedimentum, si quod sit inter contrahentes volentes, etiam si solus sciat; dummodò absque gravi suo incommodo, aut præjudicio id facere possit. Palao lo. cit. §. 6. n. 5. Gutierrez de Matrim. cap. 59. n. 9. Sanchez lib. 3. Disp. 13. n. 2. Covarruvias de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. num. 21. Navarrus in Manual cap. 22. n. 83. Bolco lo. cit. Consil. 9. cum communiore aliorum contra Pontium lib. 5. cap. 34. Ratio est; quia quivis tenetur avertere ruinam spirituales, & grave peccatum alterius, atque irreverentiam Sacramenti, si commodè & absque sui præjudicio potest, sed in casu nostro potest, ut supponitur: Revelando enim impedimentum facit, quòd alii contrahendo graviter non peccent, & ne gravis irreverentia irrogetur Sacramento, quòd aliis fieret; ergo.

Procedit Conclusio, licet sub secreto naturali, etiam juramento firmato, illud sciat, Sanchez loc. cit. n. 5. Bolco loc. cit. n. 274. & seqq. Averfa q. 7. sect. 4. citans communem, & alii contra Gutierrez lib. 1. Canon. 99. cap. 11. n. 27. Ratio est; quia juxta universalem Regulam apud D. Thomam 2. 2. q. 70. a. 1. ad secundum, quem teste Sanchez omnes sequuntur, secretum non obligat cum præjudicio tertii, sed potius manifestari debet, ubi

si non manifestatur, vergit in damnum publicum, aut præjudicium tertii.

Nec refert, quod quis illud sub secreto, aut sigillo Confessionis, extra tamen Confessionis Sacramentum, acceperit; Sanchez *lo. cit. n. 6* Bolco *lo. cit. n. 275* quia secretum sub Sigillo Confessionis commissum, nisi in Confessione Sacramentali fiat, plus non, quam secretum naturale obligat, Sanchez *lo. cit. n. 6* Bolco *lo. cit. n. 275*. Innocentius in *c. Omnis utriusque, de Pœnitent. & Remiss. n. 7.* & ibi Abbas *n. 25*, Navarrus in *Manual. cap. 18. n. 55* Sylvester *ÿ. Confessio. 3. q. 5. v. Quarto*, & alii plurimi à Sanchez citati, extendentes doctrinam suam ad casum, quo quis flexis genibus, & facto signo Crucis ad modum contentis secretum sub Confessionis sigillo committit, quia, nisi confiteatur Sacramentaliter, secretum Sacramentale non est, uti cum Navarro bene observant Sanchez *lo. cit. Bolco lo. cit. Cajetanus, uotus, & alii apud Navarrum lo. cit.*

Debet autem denuntians occultum impedimentum, fervare ordinem præscriptum supra *n. 318*. quem etiam observandum esse, docet Sanchez *lo. cit. n. 3* Palao *lo. cit. n. 5* & alii.

Porro dicitur notanter in Conclusionè, dummodo absque gravi suo incommodo, aut præjudicio id facere possit; quia juxta communem Theologorum, charitas non obligat magno cum damno proprio advertere alterius damnum, sive spirituale, sive aliud. Palao *lo. cit. Pontius lib. 5. cap. 34. n. 2.* Gutierrez de *Matrim. cap. 49. n. 4.* cum Comuni aliorum.

50 Queritur V. Quæ sint pœnæ contrahentium Matrimonium, & assistentium eidem non præmissis Denuntiationibus? Resp. I. Pœna contrahentium sine Denuntiationibus est *Primò*, quod licet aliàs ex ignorantia nulliter contrahentium proles sint legitime, *c. Ex tenore. 14. Qui filii sint legitimi*, tamen si qui sine Denuntiationibus cum impedimento *dirimente* contrahant, proles procreate sint illegitimæ, etiam si dicant, se impedimentum ignorasse, *c. fin. §. Si quis h. t. ibi: Si quis verò hujusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumperit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione susceptæ prolixus illegitima censetur, de parentum ignorantia nullum habitura substantium.* Ratio ibidem redditur, quia affectatam ignorantiam parentes habuisse, præsumitur.

Secunda pœna est, quod eis sit adempta spes impetrandæ dispensationis super tali impedimento. Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 5.* Ratio ibidem redditur illis verbis: *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempserit.*

Tertia: insuper his, qui taliter (id est sine Denuntiationibus) etiam in gradu concessio copulari præsumunt, condigna penitentia injungatur.

51 Resp. II. Si Parochialis Sacerdos conjunctiones (id est clandestina Matrimonia) prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis, qui eis præsumperit interesse, per triennium ab Officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas exegerit: sunt verba Concilii Tridentini *cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.* Circa quæ tamen advertendum, hanc pœnam non esse latæ, sed ferendæ sententiæ, uti cum aliis bene advertit Sanchez *lib. 3. Disp. 48. num. 2.* patetque ex verbo textus, suspendatur.

§. II.

De necessaria ad Matrimonium præsentia Parochi, & testium: ac de clandestino Matrimonio ob defectum eorum: Ubi etiam de Matrimonio Vagorum, & Militum.

SUMMARIUM.

- 52 Ad licitè contrahendum Matrimonium utroque Jure requiritur præsentia Parochi, & Testium.
- 53 Ad valorem verò ejusdem Jure antiquo non requiritur.
- 54 Benè autem de Jure novo.
- 55 Ad valorem requiritur proprius.
- 56 Alterutrius Sponsi.
- 57 Potest tamen quisvis assistere etiam in alterius Parochia.
- 58 Debet esse Parochus domicili habitacionis, vel quasi talis, & non originis.
- 59 Solvitur objectio. Domicilium originis nunquam mutatur, benè verò habitacionis.
- 60 Domicilium habitacionis proprium, vel quasi tale, quis dicitur habere? potest acquiri unico die.
- 61 Studiosi, famuli conducti &c. habent quasi domicilium, & proprium Parochum ibi, ubi sunt, debentque ibi copulari.
- 62 Nisi tale domicilium deserant, & ad aliud se conferant.
- 63 Proprius Parochus alterutrius Sponsi in quovis loco & Parochia validè assistit Matrimonio.
- 64 Proponitur, & solvitur instantiæ, præsertim ex declarationibus Cardinalium.
- 65 Etiam licitè in aliena Parochia assistit sine solemnitate & benedictione.
- 66 De Jure communi, secus est de speciali statuto Diocessum, præsertim Frisingensium.
- 67 Doctrina præctica ad propositum.
- 68 Benedicere nuptialis in Ecclesia danda est de præcepto leviter obligante: & quando dari debeat?
- 69 De Jure communi etiam in domo privata licitè contrahitur Matrimonium; secus est in Diocesi Frisingensi.
- 70 Parochus Matrimonio assistens, non necessariò debet esse Sacerdos.
- 71 Benè verò ille, qui ex delegatione assistit. Alius dicitur esse repetitiva similitum. Ibid.
- 72 Validè, non item licitè assistit Matrimonio Parochus, cui administratio Sacramentorum, & assistentia fuit prohibita.
- 73 Idem est de Parochio irregulari, suspensio, aut excommunicato.
- 74 Solvitur instantia.
- 75 Validum est Matrimonium, cui assistit Parochus putativus ob errorem communem.
- 76 Error communis facit Jus. Ibid.
- 77 Non item error privatus contrahentium.
- 78 Quando Parochus est intrusus, invalidè assistit Matrimonio, est adsi error communis.
- 79 Sententia contraria est probabilis.
- 80 Validum est Matrimonium assistente Parochio putativo; est hic aut contrahentes errorem communem sciunt.
- 81 Licentia assistendi Matrimonio dari potest tam ob Ordinario, quam à Parochio.
- 82 Alicui alteri, Sacerdoti tamen.
- 83 Licentia assistendi Matrimonio dari potest, verbo

§. II. De necessaria ad Matrimonium præsentia Parochi &c.

& scripto, specialiter, vel generaliter, v. g. commissione Curæ animarum.

- 84 Aut administratione Sacramentorum.
- 85 Capellani, seu Cooperatores Parochorum in his partibus habent generaliter sibi concessam licentiam assistendi Matrimonio.
- 86 Vagus quis sit?
- 87 Esse potest vagus, est adhuc domicilium originis habeat.
- 88 Parochus vagorum in ordine ad Matrimonium est Parochus loci, ubi vagi existunt.
- 89 Etsi unus tantum sit vagus.
- 90 Et Sponsi ex fraude & dolo deseruerint domicilium.
- 91 Fraudem non facit, qui utitur jure suo.
- 92 Parochus sine licentia Ordinarii Matrimonio vagorum licitè non potest assistere.
- 93 Benè tamen validè.
- 94 Milites quando censentur vagi in ordine ad Matrimonium?
- 95 Capellani Castrenses nec in castris nec in præstidiis seu Quartieris possunt validè assistere Matrimonio, nisi habeant specialem facultatem à Sede Apostolica, vel licentiam & approbationem ab Ordinario, in cuius Diocesi extare contingeret. Et num. seq.
- 97 Affertur novissima Declaratio Cardinalium.
- 98 Adducuntur plures doctrinæ præctice de Capellanis Castrensibus in ordine ad Matrimonium usque ad *n. 102.*
- 102 Ad valorem Matrimonii requiruntur & sufficienti duo testes.
- 103 Etiam infames, impuberes, consanguinei &c. Et non. seq.
- 104 Testes inhabiles quando admittantur?
- 105 Solvitur objectio.
- 106 Ad valorem Matrimonii requiritur præsentia moralis Testium, & Parochi.
- 107 Et quidem simultanea.
- 108 Sufficit tamen, est dolo adducti, aut vi detenti, aut casu præsentis sint.
- 109 Dummodo fuerint formaliter adhibiti, seu requisiti.
- 110 Quod aliqui necessariò requirunt.
- 111 Ob Declarationem Cardinalium.
- 112 Doctrina præctica ad hoc.
- 113 Contrahentes, dolo aut vi præsentiam Parochi obinentes peccant graviter.
- 114 Nisi gravis necessitas, & urgens causa aliud suadeat.
- 115 Pœnæ contrahentium, & assistentium Matrimonio clandestino. Et duobus num. seqq.

Constat ex dictis supra *num. 2.* alteram speciem clandestini Matrimonii esse, si contrahatur sine præsentia Parochi & Testium. Hinc Queritur I. Quomodo de Jure tam antiquo, quam novo ad Matrimonium requiritur præsentia Parochi & Testium? Resp. I. Ad licitè contrahendum Matrimonium utroque, antiquo nempe & non vo Trident. Jure requiritur præsentia Parochi & Testium. Caret controversiâ. Et quidem de Jure antiquo expressè patet *can. 1. 2. 3. & 5. caus. 30. q. 5.* ubi requiritur, & præcipitur, ut Sponsi non conjugantur, nisi à paranympis, & parentibus vel propinquis Sacerdoti, utique Parochiali, benedicens offerantur, consequenter in præsentia Parochi & testium contrahant. De Jure novo constat ex Concilio Tridentino, *Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. princ. ibi: Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesiæ, ea irrita non fecit, & proinde jure dammandi sint illi,*

ut eos S. Synodus anathemate damnos, qui ea vera & rata esse, negant: Nihilominus S. Dei Ecclesiæ ex justissimis causis, illa semper detestata est, & prohibuit.

Resp. II. Quamvis Jure antiquo ad valorem Matrimonii necessaria non fuerit præsentia Parochi & testium, consequenter Matrimonium ex hujus defectu clandestinum, validum fuerit, tamen hodie etiam ad valorem requiritur, adedque nullum ac irritum est Matrimonium ex defectu præsentia Parochi & testium clandestinum. Et quidem quod de Jure antiquo ad valorem non fuerit requisita, clarè patet, tum ex textu Concilii Trident. *num. præced. allegato. Tum ex c. 1. & 2. h. 1. cum Concordantiis.*

Quod autem de facto Jure novo etiam ad valorem requiritur, clarè statutum habetur *cit. Concilii Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. ibi: Qui aliter quam præsentie Parochi, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attemptabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsentie Decreto, irritos facit, & annullat. Rationem hujus irritationis præmittit ipsum Concilium *lo. cit. videntur licet gravia peccata, quæ ex eisdem clandestinis conjugis ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Licet enim Matrimonia summe clandestina, & nemine præsentie contracta, coram Deo fuerint valida, tamen in Foro requirebatur probatio vel per ipsorum conjugum confessionem, vel aliunde faciendâ, c. 1. h. 1. consequenter si unus, vel uterque negabat, & probatio alia defecerat, in Foro externo impunitè discedebant, etsi summe rei coram Deo, c. 2. h. 1.**

Queritur II. Cujusnam Parochi præsentia requiritur ad valorem Matrimonii? Resp. I. Ad valorem Matrimonii requiritur & sufficienti alterutrius Sponsi proprius Parochus domicili habitacionis, vel quasi talis, non item Parochus originis. Conclusio habet plures partes, quarum prima, quod videlicet requiritur Parochus, est unanimis, ob claram dispositionem Concilii Tridentini *lo. cit. ibi: Qui aliter quam præsentie Parochi, utique proprio, ut liquet ex præcedenti textu: ibi: à proprio contrahentium Parochi. Cujus nomine etiam Vicarii perpetui, sicut etiam Beneficiati curati, subditos Parochianos pro Foro pœnitentiali habentes, intelliguntur per dicenda infra.*

Secunda pars, quod alterutrius Sponsi proprius Parochus sufficiat, docetur à Sanchez *lib. 3. Disp. 19. n. 4.* Bolco de *Matrim. Disp. 11. sect. 9. Concl. 13.* Gutierrez de *Matrim. cap. 6a. n. 4.* Navarrus in *Manual. cap. 25. infra. Pirhing h. t. n. 13.* cum communi & certa aliorum: Estque declaratum à S. Congregatione, teste Sanchez, & Bolco *loc. cit.* Ratio est, quia contractus Matrimonialis est individuus & non nisi inter duos consistere potest; consequenter si quis ut Parochus proprius potest assistere Matrimonio unius, potest etiam assistere Matrimonio alterius cum illo contrahentis, *arg. l. Si commune. 10. ff. Quænammodum servit. amitt.*

Quod intellige non tantum, quando nuptiæ celebrantur in Parochia illius Parochi, qui assistit, sed etiam, si celebrantur in Parochia alterius Parochi, ita, ut quamvis ordinariè assistat Parochus ille, in cuius Parochia celebrantur, tamen etiam Parochus Sponsæ v. g. possit assistere Matrimonio, quod contrahitur in Parochia Sponsi, prout etiam à S. Con-

gatione declaratum refert Fagnanus in c. Quod nobis. h. t. n. 33. Tum quia Matrimonium est jurisdictionis voluntariae: Tum quia Concilium Tridentinum de loco nihil expressit, sed tantum statuit, ut proprius Parochus afflaret, de quo adhuc infra n. 65. & seqq.

58. Tertia pars, quod requiratur Parochus habitationis, seu domicilii, vel quasi talis, & non sufficiat Parochus originis, nisi sit etiam habitationis, docetur à Sanchez lib. 3. Disp. 23. n. 7. Bosco loc. cit. Concl. 11. n. 388. & seqq. Perez de Matrim. Disp. 40. sect. 2. n. 1. Gobath. ir. 9. casu 18. n. 486 & alii communiter. Ratio est; quia Concilium Tridentinum requirit proprium Parochum; hic autem est Parochus habitationis seu domicilii; utpote ratione cuius quis Parochianus est, & dicitur, per dicta Lib. III. Tit. XXIX. de Parochis. n. 10. Accedit, quod proprius Parochus sit ille, à quo quis alia Sacramenta v. g. poenitentiae recipit; & qui alteri dare potest licentiam, ad eadem suis Parochianis administranda, c. Omnis utriusque sextae de Poenitent. & Remiss. sed talis est Parochus domicilii: ergo. Unde etiam portio Canonica, c. Cum ab eo, de Sepult. in 6. Accedit Declaratio Cardinalium, quam refert Bosco loc. cit. n. 400. sequentis tenoris: Proprius Parochus est, in cuius Parochia contrahentis habitant tempore, quo Matrimonium contrahitur.

59. Dices: Domicilium originis potentius ac fortius est quam habitationis; cum illud nunquam amittatur, l. Assumptio. 17. ff. de Municip. & l. Originis. 4. C. de Municip. sed cum ipso habitationis domicilio retineatur l. Seniores 11. C. de Senat. domicilium habitationis verò pro libitu mutari & amitti potest, l. Domicilium. ff. ad Municip. ergo etiam Parochus originis valide assistere potest Matrimonio; praesertim, quia ei, qui duo domicilia habet, cuiusvis domicilii Parochus assistere valeat. Resp. concessio Ant. negando consequens, quia Concilium expresse requirit proprium Parochum, hic autem juxta num. praeced. dicta est Parochus domicilii habitationis.

Nec refert, quod etiam locus originis vocetur domicilium, saltem originis; nam contra est, quod in dubio nomine domicilii veniat domicilium habitationis. Sanchez loc. cit. arg. c. Statutum. 11. §. Cum verò de Rescript. in 6. & ibi Glossa v. Unam diem, Anthoranus n. 4. & alii, ut proin, licet, si quis duo habeat domicilia habitationis, à quovis horum Parochi conjungi valeat; tamen à Parochi originis id fieri nequit; quia, ut supponitur, proprius Parochus Sponsi non est, quod tamen juxta Concilium Tridentinum requiritur.

Quod autem Ordo ab Episcopo domicilii originis conferri valeat, specialis dispositio Juris est, quae ad Matrimonium extendi non potest, praesertim cum nec ad alia Sacramenta Poenitentiae v. g. Eucharistiae &c. extendatur.

60. Caeterum quoniam dicitur habere verum, vel quasi domicilium, vide Lib. II. Tit. II. de Foro compet. §. 2. solum adde, quod sicut ad acquirendum verum domicilium sufficiat unius diei habitatio cum animo ibidem constante permanendi, juxta dicta & probata loc. cit. ita etiam ad acquirendum quasi domicilium sufficiat una aut altera dies cum animo ibidem habitandi per majorem anni partem, quod loc. cit. ad finem jam adduximus, & tenet Bosco cit. Disp. 11. sect. 9. Concl. 11. n. 406. Sanchez lib. 3. Disp. 23. n. 12. & 14. Gutierrez de Matrim. Disp. 63. n. 19. favetque Declaratio Cardinalium apud Bosco loc. cit. Farinac. in Novissimis ad Concl. Trident. Sess. 24. cap. 1. n. 2. illis verbis: Quando

Matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, & à parvo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen sint cogniti, & non comprehensi inter vagabundos, proprius eorum Parochus esse intelligitur, in cuius Parochia habitant eo tempore, quo Matrimonium contrahunt. Ratio est; quia non apparet, cur quis possit acquirere verum domicilium per unum diem cum animo ibidem perpetuo manendi, & non quasi domicilium per unum diem cum animo per majorem saltem anni partem ibidem manendi, quod temporis spatium pro quasi domicilio requiritur, juxta dicta Lib. II. Tit. II. §. 2. n. 22.

Inferitur, stud ocos in loco studii, famulos mercenarios, & alios, qui per majorem anni partem alicubi morari intendunt, licet perpetuo ibidem manere cogitent, primo statim die effici Parochianos, posseque & debere Parochum talis loci, illorum Matrimonio assistere; eò quod primo statim die quasi domicilium acquirant juxta dicta num. praeced. & Lib. II. Tit. II. §. 2. n. 23. Idem est de illis, qui tempore pestis, belli longius duraturi in aliquem locum consurgunt animo ibidem permanendi, quando bellum, aut pestis duraverit. Secus autem res se habet in illis, qui tantum recreationis, peregrinationis, aut negotii breviter expediendi causa, in aliquem locum se conferunt, quia cum hi animum non habeant, per majorem anni partem ibidem permanendi, consequenter nec domicilium habitationis, nec quasi tale acquirant, veri Parochiani in tali loco non sunt, nec Parochus talis loci Matrimonio eorum assistere potest, textu claro c. Is, qui silem de Sepult. in 6. quae omnia amplius deducta vide apud Sanchez loc. cit. n. 12. & Gutierrez loc. cit.

62. Quibus non obstantibus, possunt hi omnes etiam in loco originis, aut in alio loco, assistente talis loci Parochi, Matrimonio contrahere, si volunt, dummodo illud, quod de facto habent, quasi domicilium deserant (uti juxta omnes quis potest, arg. l. Domicilium. ff. Municip.) & ad alium locum animo ibidem vel perpetuo, vel per majorem anni partem morandi, conferant, consequenter aliud domicilium habitationis, siquae alium Parochum acquirant. Secus foret, si quasi domicilium non desererent, sed statim redire intendentes, in originis, aut alio loco contrahere vellet; hoc enim in casu, cum prius domicilium non amittant, nec novum acquirant, à nullo alio, quam prioris illius quasi domicilii Parochi copulari valent.

63. Resp. II. Proprius ratio veri, vel quasi domicilii Parochus alterutrus Sponsi valide assistit ejus Matrimonio in quocunque loco, aut Parochia, etiam tali, in qua nec Sponsus, nec Sponsa Parochiani sunt. Sanchez de Matrim. lib. 3. Disp. 19. n. 14. Bosco loc. cit. Disp. 11. Pirhing h. t. n. 15. Perez de Matrim. Disp. 40. sect. 2. n. 7. Coninck Disp. 26. dub. 2. n. 22. Hurtado de Matrim. Disp. 5. n. 22. Castro Palao de Sponsal. Disp. 2. punc. 13. §. 9. n. 3. Gutierrez de Matrim. cap. 62. n. 5. cum communiter aliorum contra Pontium lib. 5. de Matrim. cap. 16. n. 4. Ratio est; quia, ut supra n. 57. jam dictum, Concilium Tridentinum ad valorem Matrimonii tantum requirit, ut in praesentia proprii Parochi fiat, non verò, ut in propria Parochia fiat, eò quod per solam assistentiam, ubicunque tandem Matrimonium celebratur, jam non videatur clandestinum Matrimonium, adeoque finis Concilii Tridentini habeatur.

Dices. Nemo potest extra Territorium proprium exercere jurisdictionem, arg. c. fin. de Constit. in 6. ibi: Extra Territorium jus dicenti impunè non paretur. Et in specie Parochis prohibitum est, ut nullus alterius Parochiae terminos aut jus invadat, sed

sed sit unusquisque suis terminis contentus, & taliter Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat, uti dicitur can. 1. cau. 13. q. 1. Accedunt plures Declarationes Cardinalium, quas refert Pontius loc. cit. n. 4. quarum una ad interrogatum Episcopi Brugnatenfis data; ita decernit: Ut si quando vir ad domum uxoris accedat pro contrahendo & consummando Matrimonio, is proprius Parochus sit, qui uxoris est, & illius benedictionem Sacerdotalem dare poterit de Jure. Altera sic sonat: Ut proprius Parochus sit, qui uxoris Parochus est, si in domo uxoris contrahitur, vel in ejus Parochia, ut supra in una Brugnatenfis benedictioe Sponsos debeat non obstante quacunque consuetudine contrarij etiam immemoriali. Ex quibus Pontius inferit, semper debere illum Parochum assistere, in cuius Parochia Matrimonium contrahitur.

Ad has instantias, & quidem ad c. fin. de Constit. in 6. responderetur, illud loqui de jurisdictione necessaria & contentiva, consequenter non procedere de assistentia Parochi, utpote quae vel omnino non est exercitium, aut actus jurisdictionis, sed nudus actus teltis qualificati cum aliis teltibus assistentis Matrimonio: vel est actus jurisdictionis non contentivae, aut necessariae, sed voluntariae, quae etiam extra Territorium exerceri potest, arg. l. 2. ff. de Offic. Proconsul. Ad can. 1. cau. 13. q. 1. responderetur, per illum ad summum probari, quod illicitum sit Parochi assistere Matrimonio in aliena Parochia cum solemnitate, quod ipsimet infra dicemus.

Ad Declarationes Cardinalium responderetur, per eas tantum probari, quod Parochus proprius Sponsorum in aliena Parochia non possit eorum Matrimonio solemniter, id est, quod celebratur in Ecclesia cum consuetis solemnitatibus, praesertim cum benedictione Sacerdotali, assistere, quia ista cum quodam quasi strepitu judicarij sunt, prout bene responderet Sanchez loc. cit. n. 19. Bosco loc. cit. n. 478. & ipsamet indicant Declarationes allegatae, utpote in quibus expresse fit mentio benedictione Sacerdotali.

Quod si contendas, illas etiam contra valorem sonare, responderetur, eas esse correctas ab alia subsequenti Declaratione recentiori, prout testatur Fagnanus in c. Quod nobis h. t. num. 33. addens Sanctissimum voluisse, quod ita etiam imposterum responderetur.

65. Resp. III. Etiam licite in quovis loco aut Parochia Parochus alterutrus Sponsi privatim, & absque pompa, benedictioneque publicà Matrimonio assistere potest, Sanchez lib. 3. Disp. 19. n. 18. Castro Palao loc. cit. Disp. 2. punc. 13. §. 9. n. 5. Perez de Matrim. Disp. 40. sect. 2. n. 7. Gutierrez de Matrim. cap. 62. n. 6. Bosco loc. cit. Concl. 13. n. 11. contra Pontium lib. 5. cap. 16. n. 11. Ratio est; quia nullo Jure talis assistentia est prohibita, si fiat sine solemnitate publica; haec enim cum importet aliquid quaei strepitum judicarij, in alieno Territorio exerceri nequit, ut bene advertunt DD. citati, arg. c. Ut animarum de Constit. in 6. & can. 1. cau. 13. q. 1. quia tamen benedictio necessaria conjuncta non est Matrimonio, eidem in aliena Parochia bene assistere potest Parochus. Palao loc. cit.

66. Dicitur autem notanter de Jure; quia in plerisque Diocesisbus speciale habetur statutum, ut Matrimonia non nisi in Ecclesia cum benedictione celebrentur, ut in Frisingensi, prout patet ex Ritual. p. 1. c. 9. memb. 1. n. 4. contra quod, si absque licentia Ordinarii Parochus ageret, utique erraret, & puniri posset, nisi aliud obtinisset consuetudo, prout etiam dictum Rituale Frisingense ibidem expresse limitat.

67. Inferitur: validum quidem esse Matrimonium,

quod Frisingenses non tantum in aliena Parochia, sed & alienà Diocesi Oettingae v. g. vel Augustiae contrahunt, si sibi assistentem habeat proprium Parochum, vel etiam alium Sacerdotem de licentia Parochi, aut Ordinarii, juxta dicenda infra n. 80. Non posse tamen dictum Parochum Matrimonio horum solemniter, in Ecclesia nempe assistere cum consuetis solemnitatibus, nec illud benedicere, sed debere copulationem facere in domo aut loco privato; quamvis si publicè fieret, adhuc subsisteret; est tam Parochus ita assistens, quam contrahentes peccarent, & tanquam transgressores Legis puniri possent. Imò etiam si in domo privata sine licentia Ordinarii assistat, errat, & puniri potest, non quidem de Jure communi, sed ex praescripto Ritualis.

Dices: Matrimonium non potest licite contrahi 68 sine benedictione nuptialis in Ecclesia danda, utpote quae est de praecocepto saltem leviter obligante, ut docet Sanchez lib. 7. Disp. 82. n. 6. Gutierrez cap. 106. n. 106. & alii communiter. arg. can. 1. 2. & 3. caus. 30. q. 5. juncto Concilio Tridentino loc. cit. ergo etiam de Jure communi Parochus in aliena Parochia assistere nequit, hoc ipso quod in aliena Parochia benedictionem hanc dare non possit, prout statent Omnes Resp. distinguendo Ant. benedictio nuptialis est de praecocepto, ita ut statim, ac contrahitur Matrimonium, dari debeat, negatur: ita ut suo tempore conferatur (prout loquitur can. 1. caus. 30. q. 5.) conceditur Ant. & negatur consequentia. Hortatur tamen Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. Ut ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent conjuges. Quibus verbis aperte indicat, fieri posse Matrimonium, quia statim benedictio conferatur.

Inferitur II. De Jure communi licitum esse, Ma- 69 trimonium etiam in domo privata multò magis in portico Ecclesiae contrahere; cum enim juxta dicta n. 63. & n. 65. possit Parochus licite Matrimonio assistere in aliena Parochia, in hac autem assistere nequeat publicè in Ecclesia, neque benedictionem impartiri juxta dicta n. 64. & seq. necessariò assistere debet in domo privata, consequenter licitum erit, in domo privata contrahere, de Jure communi. In Diocesi tamen Frisingensi, ex praescripto Ritualis in Ecclesia contrahi, & benedictio debet Matrimonio, excepta rationabili locorum consuetudine, prout expresse ibidem addit, ex quo manifestè liquet, consuetudine fieri posse, ut in portico Ecclesiae contrahatur Matrimonium; praesertim cum id de Jure communi sit licitum juxta dicta, nec causa irrationabilitatis contra talem consuetudinem allegari possit per ea, quae Lib. I. Tit. IV. §. 2. & 3. dicta sunt.

Resp. IV. Parochus Matrimonio valide ac licite 70 assistit, est nondum sit Sacerdos, Sanchez lib. 3. Disp. 20. a. n. 3. Pontius lib. 5. cap. 17. n. 1. Bosco loc. cit. concl. 8. Gutierrez de Matrim. cap. 62. n. 16. cum communi aliorum; contra nonnullos à Sanchez citatos. Ratio est; quia Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. tantum requirit, ut assistat Parochus; atqui talis esse potest etiam non Sacerdos, dummodo ad Ecclesiam Parochialem sit assumptus, c. Licet canon. & c. Statutum. de Elect. in 6. qui proin ea, quae à potestate Ordinis Sacerdotalis non dependunt, bene exercere valet. Accedit Declaratio Cardinalium, quam pro Conclusionem offerunt DD. citati.

Dices: ille, cui delegatur assistendi potestas, non potest esse alius quam Sacerdos, juxta c. unanimitatem, arg. cit. Concl. Trident. ibi: vel a iis Sacerdote de licentia ipsius Parochi: ergo etiam ipse Parochus debet esse Sacerdos; praesertim, quia particula 71 altus

alius est relativa & repetitiva similium, arg. l. Si fugitivi C. de Servis fugitiv. juncta Gloſa final. ibid. Resp. concedo Ant. negando Conſeg. quia præterquam quod dictio alius non semper fit repetitiva similium, (uti patet ex illo Lucæ 23. Ducebantur & alii duo nequam cum eo, id est, cum Christo, quem tamen nequam fuisse, nullatenus sequitur) Concilium ibi terminum alio adhibuit; quia Parochi ordinariè solent esse Sacerdotes. Quandonam autem dictio alius non fit repetitiva similium, desumitur ex aliis Juribus id declarantibus, vel quando subjecta materia, aut ratio id suadet, uti in præsentibus.

72 Resp. V. Etiam ille Parochus, cui vel ob imperitiam, vel in poenam delicti administratio Sacramentorum, & specialiter assistentia Matrimonialis ab Episcopo interdicta est, validè Matrimonio afficit, Fagnanus in c. Litteræ quas de Matrim. contra interdict. Eccles. num. 5. & seq. id latè probans Bolco cit. Disp. 11. sect. 9. concl. 9. a. n. 335. Sanchez lib. 3. Disp. 21. n. 11. cum communi aliorum. Ratio est: tum quia per tale interdictum aut prohibicionem non privatur titulo, & potestate Parochiali, consequenter Matrimonio validè adhuc assistere potest, eò quod quemvis Parochum proprium ad id legitimeverit Concilium Tridentinum cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. ut proin Parochus jure proprio, & non ex aliena facultate hunc actum exerceat. arg. l. More majorum, ff. de Jurisdic. omnium Judic. ibi. Qui eam suo jure, non alieno beneficio habent. Tum quia universaliter Matrimonia contra interdictum Ecclesie valent; nisi interveniat impedimentum dirimens, arg. c. 2. de Matrim. contra. contra interdict. Eccles. Accedit pro conclusione Roræ decisio, & declaratio Cardinalium, quas refert Bolco loc. cit. Sanchez loc. cit.

Dicitur autem notanter validè, quia licitè non assistit, hoc ipso, quod contra obedientiam debitam, & quidem in materia gravi agat; quapropter etiam puniri potest. Omnes.

73 Resp. VI. Validè quoque assistit Matrimonio Parochus irregularis, suspensus, interdictus, & excommunicatus etiam quando, Bolco loc. cit. concl. 9. Sanchez loc. cit. n. 4. Navarrus consil. 4. h. 1. in fine. Pontius lib. 5. cap. 17. n. 6. Palao de Sponsal. Disp. 2. pun. 13. §. 10. n. 6. cum communi aliorum contra Avilam de Censur. p. 2. Disp. 3. dub. 1. concl. 5. Ratio est; quia talis adhuc est, & manet verus Parochus proprius, qui unà cum testibus à Concilio Tridentino præcisè requiritur. Nec aliquo Jure statutum habetur, quod Parochus excommunicatus Matrimonio invalidè assistat.

74 Dices Matrimonio assistens, vel se habet ut actum jurisdictionis, officii, & potestatis publicæ exercens, vel ut testem qualificatum agens: sed neutro modo validè assistere potest: ergo. Non primò; quia tales actus ab Excommunicato vitando exerciti, sunt iriti, & nulli, c. Cum inter. 16. de Elec. c. Unico. Ne sede vacante. in 6. & c. Decernimus de Sentent. excomm. in 6. Neque secundò; quia Excommunicati vitandi testimonium inidoneum, ac nullum est, cit. c. Decernimus. 8. & c. Licet. 13. de Sentent. Excomm. in 6. & c. Veniens. 38. de Test. & Attestat. in fine. ergo.

Ad hanc instantiam respondetur, Parochum assistendo non exercere quidem actum jurisdictionis contentiosæ, sed ad summum voluntariæ, agereque testem qualificatum, & quidem utrumque validè, non obstantibus Juribus allegatis; quia non omnes actus potestatis publicæ ab Excommunicato exerciti sunt invalidi, sed illi tantum, quos in specie Jura irritant, inter quos non est assistentia Matrimonialis. Nec etiam universaliter in omnibus

& singulis habentur pro testibus inhabilibus dicti Excommunicati vitandi, cum admittatur eorum testimonium in causis Fidei, c. In fidei. 5. & c. Præsentibus. 6. de Hæretic. in 6. Imò universaliter admittuntur, & iuncti testes habiles in causis, in quibus etiam infames esse possunt testes, arg. c. Tanta. 7. de Simon. Inter has causas autem etiam est Matrimonium per dicenda infra n. 103. ergo.

Resp. VII. Validè insuper Matrimonio afficit Parochus putativus, id est ille, qui per communem errorem communiter, & vulgò verus Parochus esse creditur, & pro tali habetur, quamvis verè Parochus non sit, utpote qui vel ab initio Parochiam invalidè v. g. simoniacè accepit, vel eà ritè acquisitâ, ob crimen aliquod occultum v. g. hæresis, vel ob aliam causam ipso facto jam privatus existit. Sanchez lib. 3. Disp. 22. n. 5. & seq. Bolco Disp. 11. sect. 9. concl. 10. Pirhing h. 1. n. 18. Gutierrez de Matrim. cap. 26. Pontius lib. 5. cap. 19. cum communi aliorum. Ratio est, quia error communis jus facit, id est, ob errorem communem Jus supplet defectum, & jurisdictionem illius, de quo communis error est, ut habet unanimis Doctorum arg. l. Barbarius. ff. de Offic. prætor. l. 2. C. de Sentent. & interloq. juncto can. Infirmis. 3. q. 7. & c. Ad præbandum de Sentent. & re judic. Idque propter bonum commune, utpote quod aliàs sæpè graviter pateretur ob gravissimam inconvenientiam, & scandalâ, quæ sequerentur, si omnia per Judicem putativum acta & gesta essent irrita ac nulla; præsertim quando error ille communis detegeretur, & auferretur.

Dicitur autem notanter per errorem communem; 76 quia error privatus contrahentium, & aliquorum non sufficit, nec ob eum Jus supplet jurisdictionem, uti est unanimis per Jura citata. Ratio est; quia ob privatum errorem unius aut alterius non sequuntur memorata inconvenientia & scandala; nec patitur bonum commune, ob quod solum tamen Jura jurisdictionem suppleant, juxta dicta Accedit, quod Leges non attendant ea, quæ raro, & in particulari casu, sed communiter accidunt; l. Nam ad ea. ff. de Legib. ibi: Nam ad ea potius debet aptari Jus, quæ & frequenter & faciliè, quam quæ raro eveniunt.

Limitatur tamen Conclusio in casu, quo Parochus nullum etiam coloratum titulum habet, utpote à nullo legitimo Superiore institutus, sed aliunde intrusus, Sanchez loc. cit. n. 49. & 50. cum communissima aliorum, quos vide apud Sanchez loc. cit. quia universaliter gesta ab eo, qui nec coloratum titulum habet, non valent; etiamsi concurrat consuetudo centenaria, & error communis, arg. c. 1. de R. J. in 6. & c. Ex frequentibus. de Insti. prout latè probavimus Lib. II. Tit. XXII. §. 19. a. n. 165. ubi vide.

Nihilominus sententia contraria, quam tenet, 78 & latè probat Pontius lib. 5. cap. 20. n. 2. & seq. Bolco loc. cit. n. 372. Diana p. 3. tr. 4. resolut. 3. ad finem, & alii, probabilitate non caret, præsertim, quod verè eadem inconvenientia & scandala sequi, ipsaque bonum commune pati videantur, siue gaudeat, siue careat titulo colorato Parochus, siue sit intrusus sine nõn; dummodò adsit error communis, & ipse communiter verus putetur Parochus; prout consideranti patet; intuitu autem boni publici Jura ob errorem communem supplet jurisdictionem per dicta ergo.

Proceditur tamen Conclusio n. 75. data, etiamsi defectum veri tituli seu errorem tam Parochus, quam contrahentes sciant, dummodò communiter Parochus existimetur, Abbas in c. Ad præbandum. de Sentent. & Rejudic. n. 15. & 16. & ibi Felinus n. 8. Imola

Imola n. 6. Sanchez loc. cit. n. 42. Bolco loc. cit. n. 374. Gutierrez de Matrim. cap. 62. n. 22. Palao loc. cit. n. 10. cum communi aliorum. Ratio est; quia sicut juxta dicta n. 76. error particularis contrahentium, & aliquorum non facit, quod Matrimonium assistente putativo Parocho sit validum, in scientia eorum particularis non efficit, quod Matrimonium sit invalidum, si error communis adhuc viget, contrarium enim eadem est disciplina, per vulgariæ Juris.

80 Queritur III. A quo? cui? & quomodò concessi possit licentia, aut committi actus assistendi Matrimonio, loco Parochi? Resp. I. Quivis Ordinarius & Parochus proprius dare potest cuius Sacerdoti licentiam validè & licitè assistendi Matrimonio sui subditi: Ordinarius quidem Matrimonio sibi subditorum Dæcessi v. g. Parochus verò alterutrius Sponsi pro Matrimonio sui Parochiam, & per consequens etiam pro Matrimonio illius, qui cum suo Parochiano contrahit. Caret controversiâ ob clarum Concilii Tridentini dispositionem Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. ibi: Qui aliter quam præsentia Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, Quiram autem per Ordinarium, & qui nomine Parochi ad præsens intelligatur, habes supra n. 55. & Lib. II. Tit. XXXI. De quibus etiam latè scribentem vide Sanchez lib. 3. Disp. 28. & seqq.

81 Resp. II. Licentia assistendi Matrimonio debet necessariò dari tali, qui Sacerdos est, Sanchez lib. 3. Disp. 20. n. 10. Navarr. h. 1. Consil. 6. n. 2. Pontius de Impedim. Matrim. cap. 25. §. 6. 3. Is autem Layman lib. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. num. 4. Palao de Sponsal. Disp. 2. pun. 10. n. 5. Ratio est; quia Concilium Tridentinum loc. cit. expresse requirit, ut delegandus sit Sacerdos, ibi: vel alio Sacerdote, quæ verba, quia juxta communem intelligentiam intelligi debent, arg. c. Ex litteris il. 1. de Sponsal. ad Diaconum, vel Subdiaconum, aut aliam Clericum non Sacerdotem extendi minimè possunt; cum nomine Sacerdotis juxta communem intelligentiam non nisi Presbyter intelligatur. Accedit communis praxis ac consuetudo Ecclesie optima Legum interpres, l. 37. ff. de Legib.

82 Illud tamen tentent tam citati, quam alii Doctores, non esse necessè, quod talis Sacerdos sit Curator, sed possit esse quivis simplex etiam irregularis, excommunicatus, aut interdictus; quia Concilium ad delegationem plus non requirit, quam Sacerdotem; qualis est etiam simplex, excommunicatus & c. hic faciunt etiam dicta supra n. 73.

83 Resp. III. Licentia assistendi Matrimonio ab Ordinario, vel Parocho concedi potest Sacerdoti, verbo, vel scripto, aut alio signo, idque specialiter, vel generaliter, generali nempe concessione peragendi cuncta munera Parochialia, Palao loc. cit. §. 12. n. 1. Sanchez lib. 3. Disp. 35. n. 6. & seqq. Pontius lib. 5. cap. 29. n. 2. Navarrus h. 1. Consil. 13. qui allegant etiam pro Conclusione Declarationem Cardinalium: Ratio est; quia Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. præcisè requirit, ut licentia concedatur alicui Sacerdoti; nec addit, ut fiat in verbis, aut scriptis, aut specialiter mandatis; consequenter generaliter ac indistinctè, prout nempe sub se comprehendit omnes licentiarum species intelligendum venit. Quia circa 22. de Privileg. & can. 1. dist. 19. & l. Si Chorus. 30. ff. de Legat. 3. Et ita generaliter concessa videtur, quando alicui ab Ordinario, vel Parocho generaliter ac sine exceptione conceditur, aut committitur Cura animarum, Sanchez loc. cit. n. 9. & Doctores citati.

84 Item generaliter concessa censetur licentia assi-

stendi Matrimonio per hoc, quod ab Ordinario, vel Parocho alicui in genere concedatur administratio Sacramentorum, Palao loc. cit. n. 1. Pontius loc. cit. n. 2. & alii contra Sanchez loc. cit. n. 8. Ratio est; quia generali concessione administrandi Sacramenta, censetur universim committi cura animarum, consequenter etiam potestas assistendi Matrimonio, prout patet ex Declaratione Cardinalium apud Farinacium vol. 4. pag. 275. ibi: Requiritur commissio generalis administrandi Sacramenta, vel si hæc absit, expressa, aut specialis licentia.

Insertur, Capellanos, seu Cooperatores Parochorum, quibus ab Ordinario, aut Parocho in genere committitur Cura animarum in aliqua Parochia (prout fieri solet in partibus Germaniæ) generaliter concessam habere etiam licentiam, & potestatem assistendi Matrimonio, ut proin Matrimonia eorum eis contracta ac valeant, si contracta essent coram Parocho, per dicta num. 83. Secus foret, si Ordinarius in datione Curæ animarum expresse assignasset Matrimoniale. Prout contingit in aliqua Diocesi occasione cujusdam casus, quo duo Sponsi coram Cooperatore Parochi ob aliam causam præsentem, præsertim testibus publicè sine premissis Denuntiationibus contraherent: post hunc enim casum Reverendissimus Ordinarius curam Cooperatorum postea limitavit; quæ tamen limitatione facere non potuit, quin Matrimonium prius jam contractum, validum permaneret; præsertim, quod etiam sententia Sanchez num. præced. allegata contra hoc Matrimonium non militaret, eò quod Cooperatoribus in illa Diocesi non tantum administratio Sacramenti, sed Cura animarum in genere prius fuerit concessa; quæ Curæ concessione generali etiam licentiam assistendi Matrimonio concedit nec Sanchez, nec alius negat.

Queritur IV. Quis sit proprius Parochus vago- 86 rum, seu vagabundorum in ordine ad contrahendum Matrimonium? Ante responſionem suppono ex dictis Lib. II. Tit. II. §. 2. a. n. 44. vagos, seu vagabundos illos esse, qui nullibi certam habitabilem sedem, aut verum, vel quasi domicilium habitationis habent, arg. l. Ejus qui 37. §. Celsus. 2. ff. ad municipal. sed hinc inde vagantur, vel priori vero, aut quasi domicilio relicto aliud querunt; siue dein jam determinaverit quis, ubinam sedem sui domicilium sit collocaturus, siue non; quivis enim adhuc reverà est, & dicitur vagus, donec etiam re & facto aliud domicilium obtineat, prout cit. Lib. II. Tit. II. §. 2. n. 45. jam diximus, & docet etiam Sanchez lib. 3. Disp. 25. n. 3. Gutierrez de Matrim. cap. 65. n. 2. Bolco cit. Disp. 11. sect. 9. Concl. 12. n. 432. arg. cit. c. Dnus. qui ff. Ad municipal. §. Nam hunc puto sine domicilio esse. Ratio est; quia cum talis prius domicilium, ut supponitur, verè jam deservierit, aliud autem actu necdum habeat, pro illo tempore reverà sine domicilio, consequenter vagus est. Nec refert, quòd in mente jam resolverit, ubinam domicilium fieri vellet; quia domicilium non solà animi destinatione, sed re & facto constituitur, l. Domicilium. ff. Ad municipal. Neque refert, quòd alicubi adhuc domicilium originis habeat, uti cum aliis bene observat Sanchez l. cit. n. 1. Gutierrez loc. cit. n. 2. & Doctores num. seq. citandi: aliàs enim vel pauci, vel nulli essent, aut dici possent vagi; cum domicilium originis semper retineatur, & nunquam dimittitur, nisi locus originis funditus evertatur, juxta dicta supra n. 59. & supra ibidem allegata.

Insertur Eum, qui vel à domicilio originis vel 87 habitationis verè dicitur, animo alibi domicilium constituendi, primo die, quo dicitur, jam esse verum vagum, quantumvis certò sciat, ubi rati-